



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XC. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Excusat se quod ad eum legatum non miserit, interclusa sibi via a Lamberto eiusque fautoribus, qui vrbem Romam tenebant obsessam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

quis fratribus vestris : quod quia vestra infirmitate , quam nimium dolemus , est prætermissum , nunc apud Trecas , Christo opitulante , Synodus sumus celebraturi , loquemurque cum Ludouico , & reliquis vestris fratribus , & post Kalendas Augustas ad vos reuertemur : tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate , quo nobis debeat occurtere , & laborem pro vestra matre sancta Romana ecclesia non recusate assumere ; quia *si fueritis socii laboris , simul eritis & consolationis* : & in hoc quæso perficiendo non sit vlla dilatio . Data vt supra .

EPISTOLA XC.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Excusat se quod ad eum legatum non miserit , interclusa sibi via a Lamberto eiusque fautoribus , qui vrbem Romam tenebant obseßam .

Carolo glorioſo regi dilecto filio .

IGTVR gloriae vestrae literarum serie recepta & lecta , ut de more antecessorum regum videlicet , & imperatorum , vestrorumque dumtaxat parentum erga Romanam ecclesiam , cuius lac vestram prolem hactenus educauerit , in cunctis omnia vos desiderare & assequi nouimus ; paterno affectu gratias agimus , & qualiter scripsisti imo tenemus . Ceterum pontificium nostrum vestra percunctari dilectio studuit , cur vobis non misimus ob quid taliter venissemus : Et vobis , & fratribus vestris glorioſis regibus , antequam ex Vrbe exiremus , mittere voluimus , sed officientibus Lamberto & Adelberto , fautoribusque eorum anathematizatis , mittere nequiuimus . Nec mirum , si ipsi nobis viam sustulerint , cum & ipsius beati Petri apostolorum principis ecclesiam , vestram denique matrem , & omnium Dei ecclesiarum tutricem , armis triginta diebus circumdatam tenere non formidauerint : ita vt nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare , ne claudes Deo conferre liceret , præter postquam Vrbem exiuiimus ; fratribus vestris glorioſis regibus mittere fategimus , vt vobis super talibus intimaremus : sed cum vos magis iuxta audimus , ita mittere cogitauimus . Quo loco ab ipsis significatur

Concil. Tom. 24.

Q

pro pacis & unitatis tranquillitatisque omnium Dei ecclesiarum negotio ; primo venimus , quo vos quatuor reges unum legitimumque velle , annuente Deo , nihilo minus faciamus , vt Psalmista cecinit : *Ecce quam bonum & quam iucundum est habitare fratres in unum* , & reliqua . Dehinc volumus vt ita conuenti nostras oppressiones audire compatiamini . Quapropter , fili carissime , quoniam te

Psal. 131.

† Deest alii quid.

valde illuxit † . Data vt supra .

EPISTOLA XCI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANGELBERGAM AVGUSTAM.

Scribit in anniversario die Ludouici eius viri sacra pro eo se facturum . rogat vt in sui defensione perseueret ; & Synodus Trecis se habiturum significat .

Dilectæ filiæ Angelbergæ imperatrici diuæ memorie quondam domni Ludouici piissimi imperatoris coniugi .

QVIA intimasti pontificio nostro anniversalem magnæ recordationis domni Ludouici imperatoris fieri , & vt pro eo proprias orationes celebraremus rogasti ; gaudemus , & impigre suo pro merito modis omnibus faciemus . Ceterum rogamus , vt , ceu haec tenus in nostris fuisstis solicita , haud secus & nunc & perpetuo esse , pro vt credimus , non differatis : quatenus vestro labore vel troque consulto cito ad propriam sedem , vt congruit , cum gaudio per merita apostolorum principum reuerti mereamur . Porro vos scire cupimus quia apud Trecas in Kalendis Augusti una cum rege Ludouico imperatoris Caroli filio , & cum universis Galliæ episcopis Synodus vniuersalem celebrabimus : dehinc Carolomannum regem , suosque germanos alloquemur , vt pari omnium consilio consolationem nostræ ecclesiæ reperiamus .